

Joachim Stockmann Thomas Panckow

Disputatio Physico-Medica De Sympathia &c.

Rostochii: Kilius, 1646


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730224600>

Druck Freier  Zugang



J. Stockmann (Th. Panzer)

R. U. phil. 1646.



61

DISPUTATIO PHYSICO-MEDICA
De
SYMPATHIA &c.

Quam
AUXILIANTE DIVINO NUMINE
ex prælectionibus . . .

VIRI
Clarissimi & Experientissimi
DN. JOACHIMI STOCKMANNI,
Phil & Med. Doctoris, ejusdemq; Fa-
cultatis Prof. Publici, Reipublicæ Rostoch.
patriæ Physici, Præceptoris, Favitoris,
Hospitis & Promotoris perpetim
venerandi,
haustam

EODEM PRÆSIDE
Publico Examini placidaq; disquisitioni submitte
THOMAS PANCOVIUS,
Ruppin: Marchicus.
Habebitur XI. Cal. Septembris, horis matutinis,
in Auditorio Magno.



ROSTOCHII,
Literis NICOLAI KILLI, Academia Typographi,
c1o 10c XLVI.





Σὺν τῷ Θεῷ.

AB illo tempore, quo doctrinam de *STMPATHIA* explicari audiui, statim non parva incesit lubido, in Materiam illam (1. qua in Institutionibus Medicae artis pareè traditur, 2. qua in Anatomicis scriptis non nisi sparsim tangitur, 3. ex cujus ignorantia infiniti errores contingunt) diligentius inquirere, qua notabiliora hac de re apud alios invenirem, indigitare, eaq; omnia certis thesibus includere publico examini subijcienda sub Praesidio illius, qui huic rei ansam dederat & conatus meos hucusq; promovit. Ne autem illa sola qua inter partes nostri corporis est Symp. ita nudè proponeretur, de aliis etiam qua in Physicis & Medicina occurrunt Symp. & Antip. nonnulla praemittere opera pretium duxi. Erit igitur Cap. I. de Physicis Symp. & Antip. in genere. Cap. II. de iisdem in Medicina passim occurrentibus. Cap. III. de Symp. illa Medica qua inter partes humani corporis observatur; cuiq; non Antipath. aliqua, sed *idiontheia* &c. opponitur, cujus species, causas & signa enarrabimus & Usus paucis demonstrabimus.

CAP. I.

De Symp. & Antip. Physica in Genere.

I.

Physica *Συμπάθεια* est affectio duabus, pluribusve rebus communis, eaq; amica; sicut *Ἀντιπάθεια* contraria affectio est. Utraq; passim deprehenduntur inter omnis generis naturalia corpora, ut promiscuè videre est apud Sperlingium in *Inst. Physicis* pag. 337. itemq; sed maximam partem de Vegetabilibus, Matthiolum, in *Praef. Comm. in Dioscor.* p. 14; nec non Pet. Laurentbergii *Horticult. lib. I. cap. XI.* & peculiariter de Animalibus Scaligeri *Exerc. 344. part. 4.* Bapt. Port. Et alios, A 2 II. De

II. De Symp. & mutuo amore Hominum (unde illud Catulli in
contrarium extat:

*Non amo te, Volusi, nec possum dicere, Quare?
Hoc saltem possum dicere, Non amo te,*)

quæ ex Platonis symposio sub Aristophanis Poëtæ joculari persona referuntur, si cui cognoscere volupe est, videat C. Bauhinum de *Hermaphroditis in præf. p. 6.* qui inde talem colligit Anacephalæosin, hisce ferè verbis: *Est igitur quibus nostrum dimidium homini, utpote sectus, quem admodum pisciculi Psetta qui vocantur, scisso uno, duo facti jam sunt. Querit autem perpetuo sub quibus dimidium, quamobrem quicumque, ex viris promiscui generis portio sunt, quod olim Androgynum vocabatur, mulierosi sunt, adulteri quoque ut plurimum reperiuntur, unde mæchi ducunt originem. Rursus quæcumque mulieres virorum cupida mæchæque sunt, hæc stirpe nascuntur. Quæ vero mulieres mulieris pars existunt haud multum viros desiderant, sed feminas magis affectant, atque hinc feminae quæ feminis, sicut graculi graculis libenter assident, nascuntur. At verò qui marum portio sunt, mares sequuntur. Quoties itaque dimidium suum alicui cujuscumque sexus, occurrit, vehementissimè concitantur & obstupescunt; indeque amicitiam, familiaritate & amore exardescunt. Atque hi sunt, qui si univiri illi contingat per omnem vitam sese amare pergant, neque quid potissimum à se vicissim expetant, exprimere possunt. Neque enim Venerea voluptas id esse videtur, cujus gratia alter alterius consuetudine tantopere delectatur. Aliud quiddam est profecto, quod animus utriusque cupit, nec exprimere valet, sed vaticinatur potius, conjicitque & affectum insitum vestigiis, signat obscuris.*

III. De hisce porro Physicis in genere Symp. & Antip. monere placet: *a.* quod inter varia & ferè innumera, quæ hujus generis ex *Corn. Agrippa* vel aliis autoribus de chartâ in papyrum transcribuntur, vana multa & frivola occurrant, ne cum *Scalig.* dicam nefaria *Exerc. 344. 1.* quo loco sibi gratulatur, quod in tales libros sipientissimus rerum omnium suus genius non inciderit: eoque ipso non obscure curiosos animos dehortatur, ne quibusvis facile assensum præbeant, vel expertundis tempus perdant, & pericula subeant. vide *Epist. præliminarem Matthioli*, ubi de radice *Baaras & c. β.* Quod ad Sympat. interpretationem, sicut alia etiam faciunt vocabula, ut sunt; *Consensus, Concordia, Convenientia, Symphonia sive Consonantia aut Concentus, Amor item, Cognatio, Continuatio &c.* ita ad explicationem *Antipat.* æquè faciunt;

ciant; Disensus, Disidium, Discordia, Discrepantia, Odium, Aversatio,
 Repugnantia &c. 7. Quod de hisce tam Græcis quem Latinis plarisq;
 vocibus Scal. *Exerc. 344. 4.* consuli possit. 8. Quod in hoc vel illo de-
 clarando Symp. & Antip. exemplo commodius usurpentur Hæc vel illa,
 quam sine discrimine quævis Nomina 8. Quod Amoris vocabulum,
 quam aptè congruat nobilissimæ illi quæ inter Magnetem & Ferrum est,
 Sympathiæ, videre sit in elegantissimo Poëtæ *Claudiani Epig.* cujus in-
 scriptio: *Magnes*; ubi fingitur ex Magnete Veneris & ex ferro Martis
 idolum sese mutuis amoris amplexibus unire & modo non continua-
 re 7. Quod, quemadmodum dictæ Symp. Amoris; ita & illa quæ ani-
 madvertitur in ejusdem generis æquētens fidiculis Scal. *Exerc. 444. 2.*
 Cum ad tactum unius, etiam movetur eadem altera, adeo, ut gravi-
 usculi si quid imponatur, tremat; si quid imponatur læviusculi ponde-
 ris plane decidat: id quod in numero diversis aliquo intervallo
 sejunctis instrumentis Musicis fieri observatur. Quod, inquam, illa
 Symp. vix ullo commodius & significantius appellabitur, quàm Con-
 centus & Symphonias nōmine, vel etiam Similitudinis & Cognationis.
 De re ipsa videre potes Fel. Platerum *Tom. 1. pag. 283. & 287. ubi*
de Auditu agit, & obiter inquirat, quæ fiat, quod qui alias surdi sunt, non
 solum dum ore insertam fistulam instant, redditum sonum percipiant,
 vel quodvis aliud musicum instrumentū dentibus si apprehendant sive
 surdi, sive obturatis auribus, sani. Et nota præter illas, quas affert ratio-
 nes, potissimam esse causam meatum ab auribus in fauces desinentem:
 de quo Barthol. *cap. 9. lib. 13. circa finem*: *Norandus* inquit, *est ductus*
quidam exiguus, cartilagosus, ab aure ad palatum abiens, valvulâ dona-
tus, cujus usus est, aërem congenitum expurgare: nam hâc viâ exitus patet
excrementis ab aure ad os, sed non contra ad valvulam; unde in aurium
affectibus Masticatoria admodum juvant. Inspiciatur, præter Barth. & alios
 Anatomicos, illæsum hâc ex parte Sceleton.

CAP. II.

De Symp. & Antip. in Medicinâ occurrentibus.

I. Hactenus de Physicis Symp. & Antip. in genere; sequitur, ut de
 iis etiam agamus, quæ in Medicinâ occurrunt: quo pertinent illæ hu-
 manorum corporum *ιδιοσυγκρασιαι*: a. Si quis Abstemiis sit; Butyrum,
 Caseum, Brassicam & alios communes cibos; imo carnes aut pisces fa-

A 3

stidiat.

stidiat. β. Si quis Feles, Musculos, Araneos, Ranas & similia minus nõ-
 xia animalia cane pejus & angue fugiat. γ. Si quis odorem Rosæ cum
 animi deliquio aversetur. δ. Si quis attritum cultellorum; stridorem li-
 mæ; sericarum vestium sibilum sine aurium offensione non toleret, &
 quod rarum est, ad Phormingis sonum urinam mittere cogatur: quod
 Scaliger exemplo asserit jocosò: *Narrabo tibi nunc, inquit, jocosam*
Sympat, Reguli Vasconis equitæ, ñ dum viveret, audito Phormingis sono,
urinam ilico facere cogebatur. Igitur è turma quidam, quem levís & civi-
lis joci offensivunculâ aspersisset, ridiculam illi paravit ultionem. Ponè di-
scumbentem adduxit cæcum quendam cum phorminge: cujus ut solebat sono
permotus, ibi sub mensam in clarissimorum convivarum pedes, quin mejeves,
continere se non potuit. Exerc. 344. 6. itemq; Exerc. 153. 10. Et Renodei
Instit. Pharmac. lib. 1. c. 8. in allegatorum aliorum exemplorum testi-
 monium. ε. Si quis à venenatis animalibus lædi non possit, imò & im-
 punè araneos devoret, serpentibus vescatur, ut Marfi & Psylli interioris
 Lybiæ populi, qui & nudo tactu sopire possunt serpentes; & cum de-
 castitate conjugis dubitant, recens natam sobolem serpentibus, tan-
 quam arbitris, exponunt: quod si enim in medium serpentis cumulum
 projectus læditur, statim spurius & alieni sanguinis foetus judicatur &
 abjicitur. ζ. Si quis hæc vel illa medicamenta v. g. Cassiam, non ferat;
 cujus hauustu in Mediolanensi civitate integram quandam familiam in-
 terijisse, Scaliger monet *Exerc. 153. 10.* Conferantur quæ de Interna Cas-
 siæ Anatomia & salutari noxiòq; usu tradit Quercetanus in *Tetrade*,
 itemq; Riolanus in *Epist. præliminari*. Si quis contra non solum vehe-
 mentiora medicamenta innoxie toleret. v. g. Opium, in magna Quan-
 titate assumere; integrum Colocythidis pomum devorare; sed etiam
 venenis v. g. Napello sine noxa vesci possit. Vide iterum Renod. *lib. 1. c. 13.*
 & de Colocynth. Libavium 2. *Synonym. p. 368.*

II. Adde, si placet, quæ de Lazaro Vittrivorace Realdus Colum-
 bus, *lib. 15. p. 486.* refert inter ea, quæ raro in Anatomia reperiuntur: *Ma-*
jore, inquit, admiratione me affecit Inspectio Lazari vittrivoracis vulgò di-
cti, quem patritijs omnes Veneti. imò Veneti omnes, omnes Ferrarienses
de facie noverunt. Hic nullo prorsus gustu, dum viveret, præditus erat, nul-
lam in edendo voluptatem, nihil injucundum persentiebat: insipida, ama-
ra, dulcia, pingua, salsa, acria non distinguebat: vitrum, saxa, lapides,
ligna, viva animalia, carbones, pisces è vivario extractos, adhuc salientes
vorabat.

vorabat. Vorabat lutum, lineos laneosq; pannos, fœnam, stipulam: & ut brevi omnia complectar, quicquid homines, quicquid animantia vorant, quicquid illi edendum seu diglutiendum potius offerebatur, mercede propositâ, dictum ac factum ingurgitabat. Testis est inter reliquos Martinus Aromatarius Patavii ad Angeli insigne, cui sacculum, carbone refertum & sacculum insuper devoravit: quo viso, persolvit, quod pollicitus fuerat, comminatus ne ad Pharmacopolium amplius accederet: veritus ne se cum tabernâ & vasis esicaret, &c.

III. Porro in Medicamentorum mistione non rarò Symp. & Antip. occurrunt. v. g. in præparatione Tartari Vitriolati, cautissimè licet permisceatur Oleum Tartari, & Spiritus Vitrioli; tanta tamen exurgit effervescentia, ut vitrum etiam supra modum incalascat. Vide *Basilicam Chym. Croli* p. m. 116. Et præparatione Auri fulminantis *κρηνοροχύος*, apud eundem p. 211. ubi plurima erunt, quæ ὀφθαλμοφανῶς miraberis.

IV. Nec non in Medicamentorum Effectis Symp. & Antipath. extant vestigia: quod alia alios humores educant; unde Cholagoga, Phlegmagoga, Melanagoga, Hydragoga dicuntur: quod alia alias partes vel amice respiciant, (unde Cephalica, Pneumonica, Epatica, Stomachica, Splenetica, Euacustica, Oxidorcica &c. appellantur) vide Sennert. *de Consensu & Diss.* cap. 6. Symp. & Antip. exempla: vel etiam peculiariter afficiant & lædant; ut Torpedo Nervos; Lepus marinus, Pulmones & Cantharides vesicam, etiam si extrinsecus corpori tantum applicentur. Vid. Sennert. *de Canth. inter venena*; & Cardanum, *de Rerum varietate* p. 10. ubi non nullas rationes reddit, cur Canth. vesicam exulcerent, & Lepus marinus pulmones erodat.

CAP. III.

De Symp. illa Medica qua inter partes Humani corporis observatur.

I. Restat jam illa Sympat. quæ est inter Humani corporis partes: cui non aliqua opponitur ἀντιπάθεια, sed cui ἰδιοπάθεια sive αὐτοπάθεια, contradistinguitur: & porro πρωτοπάθεια, δευτεροπάθεια sive ὑστεροπάθεια, ut infra patebit.

II. De quibus omnibus, antequam directè agamus, obiter explicare consultum putamus, quid πάθημα & πάθος differant: & quidem
ita.

ita ut brevitatis causa, comprehendiosissimum aliquem autorem huc
citemus; presentibus futuris Auditoribus, si quæ desiderant, interpreta-
turi & καὶ δὲ ναμὴν suppleturi omnia.

III. Πάθος & πάθημα, Passio & Affectio quomodo differant à
Διάθεσι i. e. ipso Affectu seu morbo, vide apud Duncan. Liddellium,
lib. 3. c. 1. Artu Medica; ubi inter alia etiam hæc habentur bene notati-
da: Morbus est dispositio viventis corporis præter naturam, quæ primo actio-
nes sensibiliter lædit. Causa est omne illud, quod sua natura, in constitu-
tione morbi partem generationis confert: Confert autem per mutationem
& motum. Atq; ipsa constitutio seu dispositio propriè nihil aliud est, quam
terminus illius motus. Aliud enim est pati & affici: aliud affectum & di-
spositum esse: deinde aliud πάθος & πάθημα, Passio sc. & Affectio: aliud
Διάθεσις Dispositio sc. & affectus. Nam ipsa Dispositio & affectus nihil
aliud est, quam mutationis illius vestigium patienti corpori impressum: aut
forma sive Qualitas quadam motum consequens. Proinde sublata causa tol-
litur quidem passio & patientis corporis affectio, sed non necessario unà af-
fectus sive dispositio. Coniungatur libri 2. part. 1. cap. 1. Institut. Sennerti.

IV. Ceterum cum afficiuntur nostri corporis partes sive πάθημα
sive πάθος; vel Proprio, vel Alieno laborant vitio: atq; ita omnis affectus
vel Proprius partis vel Alienus est. Et quidem Proprius (qui πάθος & in
ipsa affecta parte insidens stabilis permanensq; Διάθεσις est) ιδιόπαθεια
appellatur: Alienus verò ab alia parte communicata, quæ nondum
firma & durabilis affectio, sed πάθημα tantum est, συμπαθεια vocatur.

V. Et cum non rarò contingat ut pars parti condolens propter
diuturniorem compassionem vel situm, aut peculiarem quamvis apti-
tudinem propriam tandem contrahat morbosam διάθεσι: quæ vel De-
pendens adhuc & partim in fieri, & partim in factio esse, vel Independens
& in absolute factio esse, est. In eo casu, majoris distinctionis ergo, hæc
per Sympath. genita ιδιόπαθεια non simpliciter ιδιόπαθεια sed δὲ νεο-
παθεια aut ὑπερπαθεια; atq; prior per se genita ιδιόπαθεια non simpli-
citer ιδιόπαθεια sed παρωπαθεια dicitur.

VI. Hac de re principaliora sunt Gal. loca l. 1. de loc. aff. e. 3. & 6
quorum priore inter alia hæc habet verba: Quod si commutata ratione,
de nominibus certare desieris, magis propriè interpretando dices affici qui-
dem caput, quando ventriculo consentit: egrotare verò, cum proprio affectu
laborat.

laborat. Similiter ventriculum affici quidem, cum à vitiosis molestatur humoribus: agrotare verò, aut per propriam intemperiem, aut cum inflammationem vel ulcus vel abscessum habet præter naturam. Quod si omnino accuratori scrupuloso, voluerit hujusmodi quæstiones enodare, interdum simulatq; alimenta fuerint corrupta, coctionis quoq; actionem lædi dicet: interdum hanc quidem non lædi: illa vero esse vitiosa. Quippe corruptionis ciborum, tres prima & veluti generalissimæ sunt differentia; Una quidem fit per proprios ventriculi morbos, altera à vitiosis humoribus, in ipsis accumulati. Tertia ab alimentorum qualitate induitur.

VII. Hicce posterioribus Gal. verbis, quæ subjungatur dignissima est Sanctorii Sanctorii admonitio l. 2. c. 1. Meth. vitandorum Errorum, hujusmodi concepta verbis: Hanc Galeni præceptionem applicare quoq; possumus cuilibet parti læsæ, quoniã, quæcunq; corporis pars vel à proprio morbo læditur vel ab humore (aut spiritu) sive accumulato sive aliunde transmissa, vel à causis procatartici: ut oculos vigiles in omni afflictione habere præstet in hæc tres differentias, & illas expendere & ad illas totum revocare examen: quoniam sub iis omnia mala valetudo, sit Propria, sit per Consensum, continetur. Coniungatur Fernel de Morb. diff. lib. 1 c. 4; Sancti. Sancti. Meth. vit. Err. lib. 2, c. 2.

VIII. Sed de hisce omnibus hæctenus; nunc ad Differentias progredimur: Etenim alia Privativa alia Positiva est Sympath. & Positiva quidem per Communicationem (*κωμωσία*) fit, sive Qualitatis ipsius affectus (v.g. in Dolore) sive morbificæ causæ (Humoris, Spiritus) Privativa vero per denegationem necessarii alicujus requisiti, v.g. influentis, ut vulgo loquimur, Facultatis, aut Materiæ. De Privativa hæc & Positiva Sympath. notabilis est locus Fernelii, lib. jam citato: *Idiopathia est affectus contra naturam parti insidens, ejusq; proprius. Sympathia est affectus contra naturam parti alterius vitio impertitus. Tribus modis fit. Unus est quum pars aliquid præter naturam aliunde illi ipsum excipit. Sic è ventriculo aut humores tenues, aut corrupti vapores in caput sublata, modò mentis actiones interturbant, modo meningum distentione vel excessu dolorem excitant, modò oculis simulatas fittasq; rerum imagines obijciunt atq; repræsentant, iis similes, quæ per suffusiones cernuntur. Alter est cum facultas opifex in partem illam & influere prohibetur, veluti Spina inflammata vel obstructa, crurum resolutio incidit, omninq; illorum motus sensusq; perit; & obstructi nervi optici oculorum videndi actio con-*

B

cidit.

cidit. Tertius per consensum Affectus est quum materia ad agendum neces-
saria accedere prohibetur. e. g. obstructio pulmonibus, aut resolutio costa-
rum musculis, aut perforatio thorace, quia non satis spiritus cum efflatu ad
laryngem compellitur, vox que illius est actio eue supprimitur aut etiam
perit. Quinetiam magna venarum, que ad jecur sunt obstructio impedit,
quo minus sanguinū fiat in omne corpus distributio, efficiq; ut alimentū
penuria languescat corpus, tandemq; atrophis contabescat.

IX. Accidit autem sive Hæc sive Illa Condolentia non nisi inter
partes conjunctas. Conjunctio vero alia Manifesta est, alia Occulta.
Manifesta Conjunctio est, quæ fit per Continuitatem, *σύνουσιον*, eamq;
Immediatam aut Mediatam; vel per Contiguitatem, *ὁμιλίαν*. Occulta
conjunctio est quæ fit per communem toti corpori & omnibus parti-
bus *ξύμπνοιαν καὶ ξύρροϊαν*.

X. MANIFESTE consentiunt, & quidem per CONTINUITA-
TEM I. *Immediatam*: Cerebrum & Nervi: Cor & Arteriæ: Epar &
Venæ: Ventriculus & Intestina. II. *Mediatam*, intermediis ductibus
α. Amplioribus: *Oesophago*, Fauces & Ventriculus: *Afferâ Arteriâ*, os
& Pulmones: *Ureteribus*, Renes & Vesica. β. Angustioribus 1. *Veni*,
Epar & totum corpus. 2. *Arteriis*, Cor & totum corpus. 3. *Nervi*, Cere-
bram & Oculi aliaq; nervosæ & nervis præditæ partes, Manus & Cer-
vix; Manus & Pectus. 4. *Membranis*: Latera & jugulum; Epar & Cla-
viculæ. 5. *Ligamentis*; Uterus & Dorsum. 6. *Musculis*: Tempora & O-
culi. 7. *Spina Dorsi*: Uterus & Cerebrum; Cerebrum & Intestina. Per
CONTIGUITATEM, *ὁμιλίαν* sive viciniam & Contractum conjun-
tur in *Ventre Infimo*: Ventriculus, Epar, Lien, Septum transversum, Ve-
sica, Intestinum rectum. In *Medio Ventre*: Pulmones, Cor, Diaphragma,
Oesophagus, Latera. In *Supremo Ventre*: Cerebrum & Spina princi-
pium.

XI. { Sit Privativa vel Posi- { *ὁμιλίαν* Contiguitatem
Ut ita Sym- } tiva }
path. } Contingat } Manifestam } *σύνουσιον* Con- } immediatam
per } itam } tinuitatem } media- } α.
} } } sam } β. 1, 2, 3, & c.
} } } *Occultam, ξύμπνοιαν καὶ ξύρροϊαν*

Licet alii plures vel pauciores cōstituant Sympthias species. Vide Casp.
Peuceri *Metb. General.* p. 7. Sennerti *Disp. de Doloze capiti lib. 1. part. 3.*
Self.

Señ. i. c. 3. pag 739 Qui Sympath. triplicem constituunt h. m. ut Prima sit *ἡ κοινωνία*; Secunda *καὶ ὁμιλίαν*; Tertia *ἡ σύμφυτον*: Sed minus distinctè, cum *κοινωνία* in Consensu & per *ὁμιλίαν* & per *σύμφυτον* locum habeat. Laurentius communem istam distinctionem retinere videtur, quam Galenus *lib. 3. Epid. comm. 1.* ex Sabini sententia recitat, cum *lib. 1. sua Anatom. Quest. 30.* vel ad Generis similitudinem vel ad operis societatem, vel ad communionem & Continuitatem vasorum ac membranarum omnem consensum refert. Joh. Riolanus *Gener. Meth. Med. c. 1.* hac in re varius est. Videatur præ reliquis Taurellus *Medic. Pract. Meth. p. 46. c. de partium Consensu.*

XII. Nos præter supra allatas Consensus rationes & modos, quotquot passim afferuntur, suo loco relinquimus, cum *primò* is, qui propter familiaritatem Generis (Physici) sive Substantiæ similitudinem, contingere dicitur (v.g. cum nervosum nervoso, Venosum venoso, Arteriosum arterioso condolet) propter *σύμφυτον* contingat: & *secundò* Familiaritas operis per se nullum consensum pariat: nec obstat de mammarum cum Utero consensu exemplum; neq; quod scalptis auribus suboritur Tusis, cum longè aliæ & veriores utriusq; hujus Consensus causæ sint, ut deinceps apparebit.

XIII. Hinc antequam ad Signa progrediamur nostras assertiones pluribus Exemplis confirmasse non inuile erit, in quem finem 1. à Galeno allata exempla, *lib. de loc aff. 1. c. 6.* hinc repetita volumus 2. Ex Bartholino sequentia colligimus De Consensu Mammarum & Uteri per venas vide *lib. 1. c. 6. & 1. 2. c. 1.* Cordis & Stomachi per Nervos & viciniam. *l. 1. c. 9.* Ventriculi & Diaphragmatis *ibid.* Ventriculi & Lienis per vas breve *ibid.* Ventriculi & vesicæ fellis per ductum biliarium sive meatum felleum, *ibid. c. 15.* Ventriculi & Cerebri per nervos *l. 1. c. 9.* adde partium *l. 1. c. 14. circa finem.* Renum & Coli per viciniam & ligamenta. *l. 1. c. 11. c. 17.* Renum & Lumborum Diaphragmatis per Membranam, *ibid.* Uteri & Lumborum per Nervos *l. 1. c. 19.* Vesicæ cervicis & colli uteri, item osium coxæ *l. 1. c. 20.* Testium & Cordis *l. 1. c. 22. circa fin.* Uteri & Cerebri *l. 1. c. 28.* Maxillæ labiiq; musculorum & Diaphragmatis *l. 2. c. 3.* Temporum & frontis per Musculos, *l. 3. c. 7.* Temporum cum Cerebro per nervos *l. 2. c. 11.* Temporum & Maxilla inferioris per Musculos, *ibid.* Gulæ & Ventriculi per communem tunicam *l. 3. c. 12.*

XIV. Hisce ex Barthol. collectis Exemplis merito conjunguntur.

quæ Sennertus 6 7. Paral. ad lib 3. part. 2. c. 4. Instit. proposita habet, ubi Tria communia genera Sympath. postquam recitavit his verbis: *Partium Humani corpori consensum Gal. aliquot in loci triplicem facit: Primus est Symp. Generis, cum pars una alteram afficit ob partu, qua utriq; communis est continuitatem qua fit per nervos & membranas. Secundus est Sympath. ob Operis familiaritatem, qua est inter partes qua ad unum opus sunt destinatae. Tertius est Sympat. vicinitatis, cum pars vicina alia aliam per sensibiles & insensibiles meatus afficit: Et porro inquit. Verum cum posteriores dua differentia per se plane sint, de prima saltem agemus: eoq; nomine sequentia subjicit exempla. 1. De Consensu Thoracis Brachiorum & Manuum per Nervos. 2. ex lib. 1. de loci Aff. Gal. c. 6. Dorsi & Digitorum per nervos. 3. Cervicis & Diaphragmatis per nervos. 4. Colli cum labro inferiori per musculos & nervos. 5. Brachii & Osis sacri per Musculum. 6. Temporum & maxillæ per nervos. 7. Brachi & pectoris per Musculum. 8. de Consensu Osis pubis & Humeri per communem tunicam musculi abdominis & Brachii. 9. Occipitii & quintæ Thoracis vertebræ per musculos. 10. Costarum & Lumborum & pubis & Testiculorum per Musculum. 11. Osis pubis & sterni per Musculum. 12. Thoracis & Osis sacri per musculum. 13. Dorsi & Cervicis per Musculum. 14. Thoracis & Cervicis per Musculum. 15. Dorsi & Osis sacri & illorum per Musculi tendines. 16. Cubiti & Scapulæ per Musculum. Pisciculum dictum. 17. Humeri & Digitorum per Musculum. 18. Cubiti & Digitorum per Musculum. 19. Digitorum & præsertim etiam minimi cum externo humeri tuberculo per Musculum. 20. Indicis & Cubiti vel Ullæ per Musculum. 21. & 22. Pollicis & Cubiti per Musculum. 23. Manus & Humeri per Musculum. 24. Tibiæ & Osis ilii per Musculum. 25. Tibiæ & Osis pubis per Musculum. 26. Tibiæ & Coxendicis per Musculum. 27. - 32. Femoris & Osis sacri per Musculum. 33. Femoris cum Lumborum vertebris per Musculum. 34. & 35. Calcanei & femoris per Musculum. 36. Pedis & Calcanei cum Tibia & fibula per Musculum. 37. & 38. Digitorum pedis & Calcanei cum Tibiâ & Fibulâ per Musculos. (Conjungat, qui vult, Indicem Sanct. Sanct. & præter hæc alia etiam inveniet exempla.) De hisce autem notet Epilogum, quem Sennertus subjicit his verbis: *Ex quibus omnibus apparet, in variis motus læsionibus, non semper causam in parte cujus motus impeditur, sed etiam in distantibus, unde muscoli partem aliquam moventes exoriuntur, vel per quam incedunt* & pro.*

& progrediuntur, barere posse Medici ergò est inquirere, in qua parte morbus primarius motus læsi causa, consistat, & illi medicamenta adhibere, non verò semper parti affectæ.

XV. Quæ ultima verba ex antecedentibus ita illustrari poterunt v. g. *Consensus* est I. Quintæ vertebræ Thoracis cum Brachio, per Nervum inde transmissum; unde fieri potest, ut Brachium adduci non possit, nullo licet existente in ipso Brachio affectu; adeoq; medicamenta applicanda non Brachio, sed Spinæ Dorfi. II. Dorfi & Digitorum manus per Nervum inde transmissum; unde fieri potest, ut digitorum sensus imo & motus lædi possit, nullo existente in ipsis digitis affectu: adeoque medicamenta non applicanda digitis, sed Dorso. III. Cervicis & Diaphragmatis, per Nervos; unde fieri potest, ut ratione Diaphragmatis difficultas respirationis contingere possit, nullo existente in cervice affectu: adeoq; medicamenta non cervici sed Diaphragmati præscribenda. IV. Lati musculi colli & labii inferioris, per Nervos; unde fieri potest, ut labii motus lædatur, nullo affectu existente in labro: adeoq; non labio medicamenta applicanda sed colli musculo. V. Ossis sacri cum Brachio per Musculum; unde fieri potest, ut Brachii motus impediatur, in brachio nullo affectu existente: adeoq; non brachio sed Ossi sacro Medicamenta applicanda. VI. Temporalis musculi & maxillæ inferioris per Nervum; unde fieri potest, ut masticatio impediatur, nullo in maxilla existente affectu; adeoq; non maxillæ sed musculo temporali applicanda sunt medicamenta. VII. Thoracis & Brachii per Musculum; unde fieri potest ut Brachii motus impediatur nullo affectu in Brachio existente; adeoq; non brachio, sed pectori medicamenta applicanda. Et ita consequenter judicandum de aliis.

XVI. Sequitur ut de *signis* pauca subjiciamus: Si quæ alia pars prior læsa fuerit quam læsionem alterius partis læsio consequatur, eaq; talis sit, ut aliquo condolentiæ modo contingere potuerit, pro Sympath. habebitur, præsertim si ad prioris affectus intensionem intendatur, & ad remissionem remittatur. Porro si condolentiæ ille modus talis fuerit, ut causa communicari, & talis etiam fuerit partis aptitudo, ut proprium affectum inde facile contrahere potuerit, pro *Diagnosibilia* habebitur.

XVII. *Utilitatem* hujus Doctrinæ res ipsa loquitur: siquidem dicente Sanct. Sanct. p. 28. *Nemo in aegritudinem prolabitur, quin cadat*

in varias affectuum ideas; tanta enim in corpore nostro est harmonia & partium consensus, ut si aliqua pars est laesa, eadem extempit vel paulo post plures in confortium trahat, unde diversus in agris affectionum mixturas suboriri experimur, in qua affectuum confusione, nisi & qua primo & qua per consensum contingant, & quo consensu modo, ex qua causa accuratè distinxerimus, in mille errores inciderimus.

XIIX. Illorum Errorum ex dicto autore exempla quoque; subjecisse cum operæ pretium videatur non parvum, nos Conclusionis loco subijcimus sequentia: ita autem *lib. 2. Meth. vit. Errorum* habet. Errante *Cap. 6.* Qui utuntur remediis calfacientibus in Ventriculo rugitibus pleno, laeso ob caliditatem Epatis (in quo Exemplo simul observatur affectuum Protopathia, Idiopath & Sympathia.) *Cap. 7.* Qui putant, quamlibet sitim, potationibus auferri posse: in quo Exemplo observari poterunt Symp. Generis & vicinitatis. *Cap. 8.* Qui ex tensione Musculorum rectorum volunt colligere Mesenterium esse obstructum; quia nulla talis Symp. est inter Mesent. & Musculos rectos. *Cap. 9.* Qui nesciunt corporis nostri varia arcana, quæ cognosci possunt per Symp. Generis. *Cap. 10.* Qui labiis illorum, qui non possunt labrum infernum deorsum trahere & ad latus movere, ob læsionem factam in lato musculo, adjungunt localia, cum in jugulo aliquando sit apponenda. *Cap. 11.* Qui ignorant, quod interdum labium oblique non possit trahi à lato musculo, ob morbum existentem, tum in tertio pari nervorum cerebri, tum in tertia vertebra cervicis. *Cap. 12.* Qui illis, qui inferiorem maxillam constringere non possunt ob læsum musculum temporalem, inungunt semper maxillam, quando tempora tantum essent inungenda. *Cap. 13.* Qui sunt ighari, aliquem non posse constringere maxillam inferiorem ob læsionem musculi temporalis, factam in Nervorum exordiis. *Cap. 14.* Qui illis, qui non possunt inferiorem maxillam aperire, oleis amygdalinis vel alterius generis semper maxillam inungunt. *Cap. 15.* Qui illis qui non possunt brachium pectori adducere ob funis tormentum, occurrunt lana succida, linimentis, inunctionibus, brachiis; quando pectori esset occurrendum. *Cap. 16.* Qui localia auxilia applicant brachiis per Symp. læsis, quando potius natibus deberent applicari. *Cap. 17.* Qui topicis tractant cervicem læsam per Symp. à morbo existente circa quintam thoracis vertebam. *Cap. 18.* Quibus latet Symp. affectuum musculorum ventris, & quod dolor etiam esse possit in Testiculis causa doloris existente circa sextam costam. *Cap. 19.* Qui pubem dolore affectam tra-

ctant.

stant Anodynis. quando causa doloris pubis, non est in pube, sed inter Sternon & Mucronatam cartilagineam. *Cap. 20,* Qui topica applicant. pectori, cervici & brachiis. quando ossi sacro laeso à morbo existente in exordio quarti Musculi Thoracis essent applicanda. *Cap. 21,* Qui topicis tractant cervicem, dum non poterat flecti ob protopathiam existentem in quinta thoracis vertebra. *Cap. 22,* Qui ex ignoratâ Symp. inter Septimam thoracis vertebra & cervicem in plures prolabantur errores. *Cap. 23.* Qui cervicem inungunt vel dorsum, quando postrema ossis sacri pars esset inungenda. *Cap. 24.* Qui cubitum, quando non potest flecti ad pectus, inungunt, quando scapula vel collum esset inungendum. *Cap. 25,* Qui digitos manus illorum, qui non possunt flectere secundos articulos, inungunt, quando causa hujus Symptomatis & in humero, vel in rete, vel in collo. *Cap. 26,* Qui digitis illorum qui tertium articulum quatuor digitorum, pollice excepto, flectere non possunt, localia adjungunt; quando aliis longè diversis partibus essent adjungenda. *Cap. 27,* Qui inungunt quatuor digitos, pollice excepto, qui non possunt extendi, ob morbum existentem, non in digitis, sed in humero & aliis partibus. *Cap. 28,* Qui digito indici, qui non potest extendi, adjungunt topica, quando causa lationis est in cubito vel in cervice. *Cap. 29,* Qui digitum Pollicem, cujus tertius articulus, non potest extendi, inungunt, quando causa lationis est in cubito vel cervice. *Cap. 30,* Qui semper brachiale illius, qui non potest ipsum extendere, topicis tractant, cum ali- quando hujus lationis causa sit in humero. *Cap. 31,* Qui semper inungunt brachiale illorum, qui non possunt manum supinam reddere & flectere brachiale, vel ob tremorem non possunt scribere. *Cap. 32,* Qui Topicis tractant tibiam quæ non potest trahi sursum versus inguen alterius tibiæ ob morbum existentem in ilibus. *Cap. 33,* Qui Topicis tractant tibiam illorum, qui non possunt tibiam super tibiam deferre ob morbum existentem circa os pubis. *Cap. 34.* Qui inungunt tibiam, quæ introrsum flecti non potest ob morbum existentem in coxendice, in osse sacro vel lumbis. *Cap. 35,* Qui topicis tractant tibiam quæ non potest flecti in rectum ob morbum existentem in coxendice. *Cap. 36,* Qui inungunt tibiam, quæ in rectum extendi non potest, ob morbum existentem in ilium appendice vel in osse sacro. *Cap. 37,* Qui inungunt tibiam quæ non potest extendi, ob noni Musculi lationem quando essent inungenda ilia vel lumborum vertebra. *Cap. 38,* Qui inungunt femur, quod in rectam lineam extendi non potest ob morbum existentem in coccy.

coccyge. *Cap 39*, Qui inungunt femur quod trahi sursum & moveri introrsum non potest, ob morbum existentem in undecima & duodecima vertebra thoracis. *Cap 40* Qui pedem & calcem inungunt, quando internum caput femoris esset inungendum. *Cap. 41*, Qui semper calcaneum inungunt, quando versus anteriora, in obliquum non potest moveri, cum modò in femore, modo in osse sacro possit esse morbus. *Cap. 42*, Qui extremos digitos pedis topicis tractant, dum non possunt extolli versus genua, calcem premendo ob morbum existentem in tibia. *Cap. 43*, Qui Topicis tractant digitos pedis, quando tertium internodium quatuor digitorum & secundum Pollicis flexi non possunt ob morbum existentem sub genu.

XIX. Atq; ita hanc Doctrinam, bono cù Deo, concludimus; quam quia plenius & succinctè tamen proponere volumus, non potuimus, quin aliorum autorum verba aliquando citarem, notabilia loca indigitarem & copiosè exempla ascisceremus, quæ omnia in ipsius lectoris gratiam & commodum quia facta sunt ille, æquo animo accipiet, allegata loca inspiciet, verba considerabit, exempla Theſibus applicabit, id quod non sine fructu futurum spondemus.

XX. COROLLARIUM unum atq; alterum addidisse suffecerit. *Quæritur*

1. An Sympathia sit in fieri tantum, & πάθημα? *Aff.*
2. An omne πάθημα sit Sympathia? *Neg.*
3. An δδνεπαθήεια partim in fieri sit, partim in facto esse? *Aff.*
4. An πρωπαθήεια in absoluto facto esse tantum sit? *Aff.*
5. An omnis ιδιοπαθήεια sit πρωπαθήεια? *Neg.*
6. An omnis πρωπαθήεια sit ιδιοπαθήεια? *Aff.*
7. An semper πρωπαθήεια sit principalis, qui primo loco in Curatione attendi debeat affectus; an verò δδνεπαθήεια magis aliquando attendi mereatur? *Post. Aff.*

An Arte Medicâ prolongari possit hominis vita? Aff.

An liceat Medico vitam hominis prolongare, imminentes morbos averruncare & præsentem eradicare? Aff. Nec tamen nos, quod non nemo facit, stultitiæ impiæq; temeritatù arguimus illos, qui hanc rem in dubium vocant, nec ad Anticyras remittimus, ut caput expurgent jugero Hellebori.

ΘΕΩ ΠΑΝΤΟΤΕ ΔΟΞΑ.


Et progrediuntur, habere posse Medici ergo est
morbus primarius motus læsi causa, consistat, Et il
non verò semper parti affecta.

XV. Quæ ultima verba ex antecedentibus
v. g. Consensus est I. Quintæ vertebræ Thoracis
vum inde transmissum; unde fieri potest, ut Br
fit, nullo licet existente in ipso Brachio affectu
applicanda non Brachio, sed Spinæ Dorsi. II.
nus per Nervum inde transmissum; unde fieri
sus imò & motus lædi possit, nullo existente in i
que medicamenta non applicanda digitis, sed
Diaphragmatis, per Nervos; unde fieri potest, u
tis difficultas respiracionis contingere possit, n
affectu: adeoq; medicamenta non cervici sed
benda IV. Laci musculi colli & labii inferioris
potest, ut labii motus lædatur, nullo affectu ex
non labio medicamenta applicanda sed colli m
Brachio per Musculum; unde fieri potest, ut Br
in brachio nullo affectu existente: adeoq; non
Medicamenta applicanda. VI Temporalis mu
ris per Nervum; unde fieri potest, ut masticatio
maxilla existente affectu; adeoq; non maxillæ
applicanda sunt medicamenta. VII. Thoracis
lum; unde fieri potest ut Brachii motus impe
Brachio existente; adeoq; non brachio, sed pe
plicanda. Et ita consequenter judicandum de a

XVI. Sequitur ut de *signis* pauca subijci
prior læsa fuerit, quam læsionem alterius partis
talis sit, ut aliquo condolentiæ modo contingere
path. habebitur, præferum si ad prioris affectu
tur, & ad remissionem remittatur. Porro si con
lis fuerit, ut causa communicari, & talis etiam f
proprium affectum inde facile contrahere potu
habebitur.

XVII. *Utilitatem* hujus Doctrinæ res ipsa
cente Sancti. Sancti p. 28. Nemo in ægritudine

B 3



la parte
adhibere.

oterunt
per Ner
non pos
amenta
rum ma
rum sen
tu: adeo
ervicis &
hragma
n cervice
præscri
nde fieri
: adeoq;
acri cum
mediatur,
ssi sacro
inferio
ullo in
temporal
Muscu
fectu in
enta ap

alia pars
tur, eaq;
o Sym
ntenda
odus ta
tudo, ut
pudica

dem di
in cadat
im